



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**COLLATIO-||NVM SACRARVM|| LIBRI VIII.|| Tilmanni
Bredenbachij S. Th. D.||**

Bredenbach, Tilmann

Coloniae Agrippinae, 1592

VD16 B 7378

17. De Eucharistia, ob matronæ cuiusdam incredulitatem, in carnem mutata, recursusque per orationes sancti Greogrij in panem conuersa.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65002)

hora accitur Episcopus, agnoscitur veritas: ab-
iicitur error, confessus reatum, absoluitur, pe-
tit viaticum, datur reconciliatio, & vno penè
momento perfidia ore abdicatur, & morte di-
luitur. Ita mirantibus cunctis, sub omni cele-
ritate completus est sermo Malachiæ & scri-
pturæ pariter dicentis, Quia vexatio dat intel-
lectum auditui.

*Ex libro 2. cap. 41. vitæ D. Gregorij Magni à Ioanne
Diacono anno Domini 872. conscriptæ, quæ habetur
in Laurentio Surio 12. Martij, de Eucharistia
ob matrone cuiusdam incredulitatem, in carnem
mutata, rursusq; per orationes S. Gregorij in pa-
nem conuersa.*

CAP. XVII.

Matrona quædam B. Gregorio per statio-
nes publicas Missarum solemnia celebrã-
ti, solitas oblationes obtulerat. Cui post my-
steria traditurus eum diceret: Corpus Domini
nostri Iesu Christi conferuet animam tuam:
lasciua subtrist. Ille continuo dexteram ab e-
ius ore conuertens, partem illam dominici
corporis super altare deposuit. Expletis verò
Missarum solemnibus, Matronam coram po-
pulo inquisiuit, quamobrem corpus domini-
cum sumpturâ ridere præsumperit. At illa
dum mussitans, tandem prorupit: Quia pa-
nem, inquiens, quem propriis manibus me
fecisse cognoueram, tu corpus dominicum
perhibebas. Tunc Gregorius præ incredulita-
te

te mulieris cum tota plebe se in orationē prostravit. Et post paululum surgens, particulas panis, quam super altare poluerat, carnem factam reperit. Quam coram cunctis incredulæ Matronæ demonstrans, ad credulitatis gratiam tam illam reuocare potuit, quàm totum populum confirmare curauit. Rursus itaque in orationem cum eisdem prostratus, carnis fructum in panis primordia reformauit.

De quodam Sacerdote, qui dubitans sub cōsecratione de conuersione substantiæ, ex hostia sanctissimam quam manibus tenebat, uiuus sanguis manare cepit, Ex Platina in uita Urbani IIII. PP.

CAP. XVIII.

VRbanus Papa IIII. cum esset Hierosolimitanus Patriarcha: Viterbij, ubi curia Romana erat, à Cardinalibus numero XIX. inter se discordantibus, extra eorum Collegium IIII. Kalend. Septemb. Anno Domini M. CC. LXI. Romanus Pontifex renunciare sedem annos III. mensem unum, & dies IIII. in ueterem & nobilissimam Tusciæ urbem accedens, loci adpectu, & securitate delectatus (quod enim in summo saxo posita, & ad expugnandum difficillima) diu in ea cum curia Romana permansit. Nam Manfredi Siciliæ Regis Romanæ Ecclesiæ hostis potentia & vi sanctæ sedes tunc præcipuè vexabatur, à ciuibus Viterbenensis honorificentissimè susceptus, Manfredenses & Philippenfes primarios, urbis